

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica V. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 5. v. 1. — 11.

EXORDIUM.

CUm fratres Josephi, à Patre suo in Ægyptum ablegarentur, ad emendum frumentum, ob annonæ difficultatem, quæ in terrâ Canaan continuabatur: iussit Josephus procuratorem suum, ut saccos eorum impleret tritico, & reponeret pecuniam singulorum, in sacculis suis. Fratres autem ejus nihil horum scientes, & dum domum redeunt, frumenta effundentes, singuli reperierunt in ore saccorum ligatas pecunias, Gen. 42. v. 25.

Hæc *allegoricè* interpretabimur.

Cœlestis Josephus & frater noster fidelissimus Jesus Christus, adhuc hodiè ita nobiscum ludit, quantum ad *temporalem vitam* concernit: neq; enim nos quicquam adjumenti conferre possumus, præter laborem, quem Deus cuique imposuit, in functione suâ. Quod reliquum est, desuper venit, & sæpè largius, quàm expectavimus. Benedictio enim Dei, in mercedem justii festinat, & in honore veloci processus illius fructificat, Sir. 11. v. 24. *Sed opera danda est nobis, ut Christi genuini fratres simus*, quod fit, quando voluntatem ejus facimus. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, soror, & mater est, ait ipse, Matth. 12. v. ult.

Aliis Josephus pecuniam non reddidit: sed care vendidit: Quin imò cum pecunia deficeret, pro pecoribus alimenta iis dedit, & his deficientibus, possessiones eorum sibi oppignoravit, Gen. 47. v. 15. Sic quidem

Deus etiam impiis alimenta ministrat, & sæpè plus, quam indigent: sed *respectu ipsorum non est benedictio*: sed potius scandalum iniquitatis eorum, Ezech. 7. v. 20. Hoc ipso enim incidunt in tentationem, & desideria multa nociva, quæ mergunt eos in interitum & damnationem, 1. Tim. 6. vers. 9. Propterea etiam, quod hoc modo per fas & nefas congregarunt, mittunt in sacculum pertusum, Mal. 1. v. 6. ut ad hæredem tertium non pertingat, sed in maledictione maledictum sit, Mal. 3. v. 9.

Veri Christiani autem, qui verâ pœnitentiâ Christum accedunt, & ad exemplum Petri, ad genua Christi procidunt, optimum inde reportant, videlicet tranquillam conscientiam, & victum temporalem, quantum ad sustentationem hujus vitæ necessarium est, dat enim dilectis suis in somnis, Pl. 127. v. 3.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi Petrus, dum post auditam concionem in nomine Christi rete laxat, non modo tam copiosam multitudinem piscium concludit, ut rete rumpatur, & navicula mergantur: sed & ipse hominum piscator constituitur, quod vel nunquam ei in mentem venisset.

Nos sine ulteriori præloquio ad ipsum Evangelium progrediemur, meditaturi ex eodem, juxta propositum nostrum:

- I. Ἀποθροπολογίαν, sive *notitiam nostri.*
- II. Χριστογνωσίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exc.